

Franckesche Stiftungen zu Halle

B. Martini Lvtheri Methodvs Stvdii Theologici Interprete Hieronymo Wellero

Weller, Hieronymus

Wittenberg, MDCCXXVIII.

VD18 13415522

Appendix De Studio Biblico Aevi Apostolici.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-218875

APPENDIX
DE
STVDIO BIBLICO ÆVI
APOSTOLICI.

§. I.

Eius definitio.

Historiam exposituro biblici studii, quod aevo apostolico floruit, multiplex se offert materia, quae quidem tota utilis est, cuius tamen particulae quaedam maiorem habent vtilitatem. Et has nunc pertractabo. Biblicum vero studium vt multis verbis definiam, non credo esse opus, cum id, quod est, neminem fugiat; et si quis ignoret, illud aliunde cognoscere possit. Item quiuis perspectum habet, quodnam temporis spatium aevo apostolico comprehendatur. Ego huic aevo illum temporis tractum subiicio, qui initium capit a CHRISTI natiuitate, et ibi desinit, vbi Apostolorum scripta suam nacta sunt clausulam. Studio biblico istius aevi hic propositus finis erat, vt, quod in bibliis docetur et narratur, intelligere discerent, intellectumque referrent ad salutis consequutionem.

C

Vnde

Vnde Seruator, cum Sadducaeos non reprehendat, quod operam nauent legendis sacris litteris, eos tamen arguit, quod ignorantia diuinarum Scripturarum laborent, adeoque finem sui studii negligant, aut, licet hunc curent, vt videntur curasse, recta tamen non adhibeant praesidia, quibus sacrae Scripturae intelligentia comparatur. Discipuli Seruatoris, postquam hic in vitam rediit, per ipsum consequuti sunt, vt diuinas intelligerent Scripturas.

(a) Intellectum Scripturarum nemo statim tantum acquirit, quantum capit humanum ingenium; nec vllus eo peruenire potest, vt nihil, quod amplius intelligere studeat, superfit. Sunt quidam quasi intelligentiae gradus, quos, in legitimo subsidiorum vlu, pedetentim conscendimus. Sub ipsa fideli Scripturae sacrae tractatione maiores nancisceris vires percipiendi eius sensum. Exemplum magni profectus praebet Apollos, potens in Scripturis dictus, quem nihilominus non puduit, vltiori aliorum vti disciplina.

(b) Qui desiderio tenebantur aeternae
fa-

(a) 2. Tim. III. 15. Matth. XXII. 29. Marc.
XII. 24. Luc. XXIV. 45.

(b) Act. XIII. 24.

salutis, sapientiam, quae dirigit rei expectatae studium, hauriendam ex Scripturarum illarum sacrario putabant. (c)

§. II.

Opera, circa intelligendas sacras litteras.

Transimus ad operam, quam dederunt intelligendis sacris litteris. Primo legebant has sine discrimine omnes, videlicet non modo Doctores, sed etiam reliquus populus. In Aethiopia quoque, antequam eo Apostolorum doctrina delata est, lector diuini codicis memoratur. Lectus hic est non tantum publice, in sollemni conuentu, sed domi quoque, priuatim. Aethiops ille, dynasta, reginae Candaces minister, iter faciens, dum curru vehebatur, tempus, quod alii inani sermone aut vanis cogitationibus perdere solent, sacrarum Scripturarum lectioni tribuit, nobis in eo exemplum relinquens, quod imitemur. (d) Non satis autem ipsis videbatur, legisse sacrum co-

C 2

di-

(c) 2. Tim. III. 15.

(d) Matth. XXI. 42. Marc. XII. 10. Luc. IV. 16
X. 26.

dicem, sed lecta scrutati sunt. (e) Inprimis eorum locorum consideratio inculcabatur, qui ad Christum respiciunt. Ipse Christus id exemplo docuit, postquam ex sepulcro resurrexisset: nam, illo temporis spatio, discipulis exposuit, quicquid, in sacris Scripturis, de ipso dictum est. Idem Iudaeos reprehendit, quod, in lectione illarum, animos non attenderent ad se, in his praenunciatum. (f)

§. III.

Praesidia hauriendi veri sacrarum litterarum sensus.

Ostensa etiam sunt praesidia, quibus perueniatur ad sacri codicis intellectum. Conuolutus ille claususque proponitur, ut intelligerent homines, se indigere aliquo, qui euoluat atque aperiat. Item humana mens oclusa dicitur, ut, in eam, nisi recludatur, ingredi nequeat sacrarum litterarum sensus. Iam Christus memoratur discipulorum mentem aperuisse, ut per-

X. 26. Act. IIX. 28. 30. 32. XIII. 27. XV. 21.
Col. IV. 16. I. Theff. V. 27. Apoc. I. 3.

(e) Ioh. V. 39.

(f) Luc. XXIV. 27. Ioh. V. 39. 40.

perciperent, quae traditae sunt, in Scripturis, veritates, et ipsas iisdem aperuisse Scripturas. Inprimis vero ille suis explicuit, quae de se, in diuino codice, per scripta sint. (g) Attamen non spernebantur humana praesidia, quale est, consulere diuinarum Scripturarum peritiores. Aethiops ille, cuius iam mentionem feci, cum cupidus esset, perspiciendi loci Esaiiani, virum apostolicum, Philippum, consuluit; nec frustra: hac via enim prouenit ad salutarem veritatis cognitionem. (h)

§. IV.

Vsus inuentae in illis veritatis.

Progredior ad usum cognitae ex sacro codice veritatis. Sequuti Dominum discipuli fidem habuerunt Scripturae, vera esse firmiter credentes, quaecunque in illa docentur. (i) Lectores eius docebantur sumere ex his voluminibus salutaris doctrinae summam, ea uti ad animi emendationem, et, ex illius

C 3

prae-

(g) Luc. XXIV. 45. 32. 27.

(h) Act. II. 34.

(i) Ioh. II. 22.

praescripto, prosequi studium sanctitatis. (k) Quando alii de rebus diuinis sententias, narrationesque adferebant, ipsis nondum notas, adhibitae sunt sacrae litterae, tanquam Lydius lapis, ut certo scirent, num, quod illi dicerent, genuinae doctrinae conueniret, an repugnaret. Beroenses Iudaei allatum ad se de Christo sermonem non prius admiserunt, quam iudicium de illo, Moysi ac prophetarum scriptis instituissent. Quo exemplo id etiam declaratur, sapientes viros aevi illius nec miraculis plus credidisse, quam Sacris scripturis: item hoc ius aliorum doctrinas diiudicandi singulis esse datum, eosque etiam illo usus. (l) Quam quis hauserat ex Scripturis veritatis cognitionem, eam cum aliis, maxime rudioribus, cum publice, tum priuatim, communicauit. Paulus Thessalonicam veniens, more suo, publico Iudaeorum conuentui interfuit, et, per tria sabbata, cum eis differuit, ex Moysi prophetarumque scriptis:

(k) 2. Tim. III. 16.

(l) Act. XVII. II.

ptis: (*m*) quemadmodum ipse Dominus olim idem, in vrbe Nezareth, fecit. (*n*) Verum et alia legimus exempla eorum, quae extra publicas aedes, priuatim, de verbi diuini locis colloquuti sunt. Christus, qui quidem non necesse habuit, ex sacro codice petere caelestis veritatis notitiam, hac discipulorum par imbuuit, quibuscum in vicum, cuius nomen erat Emaus, proficiscebatur. (*o*) Aethiopi etiam Philippus, in via, vaticinii Esaiani sensum exposuit. (*p*) Non ea modo valuit consuetudo, vt vnum caeteri audirent, Dei eloquia explicantem; sed soliti quoque sunt biblicum quoddam instituere colloquium: quo sane nihil vtilius, nihilque piis iucundius videtur. (*q*) Et quum sacer codex, pro autoris amplissima sapientia, paucis verbis, abundantissima sensa contineat; in eorum, quae recondita sunt, expositione, instituerunt inter-

pre-

(*m*) Ibid. 2.

(*n*) Luc. IV. 16. 17. sqq.

(*o*) Luc. XXIV. 13. - 32.

(*p*) Act. II. 27. - 35.

(*q*) Ibid. et c. XVII. 2.

pretationem. (r) Ea vero tradentes, quibus communis ignorantia et naturalis pertinacia refragatur, demonstratione visi sunt. (s) In hac veritatis biblicae communicatione, suauissima iuxta atque salutaris de Christo, factaque per eum expiatione, doctrina, tam priuati, quam publici sermonis praecipuum erat argumentum. Apolos Alexandrinus, in Achaia, vehementer Iudaeos conuincebat, publice demonstrans, per sacras litteras, Christum esse Iesum. (z) Philippus ille, ab Aethiope, de Esaiae effato interrogatus, ab hoc exorsus est, nunciauitque ei de Christo euangelium. (u) Tota porro ista veritatis communicatio referebatur ad efficiendam certissimam scientiam, ad quam ἑλεγχος, id est, conuictio, plurimum conducit, ad animi correctionem, ad correcti animi vltiorem institutionem, vt compositus esset diuinus homo, ad omne recte factum bene comparatus. (x)

(r) Luc. XXIV. 27. διηρμήνευεν.

(s) Act. XII. 28.

(t) Ibid.

(u) c. II. 35. Ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς γραφῆς ταύτης, εὐηγγελίσατο αὐτῷ τὸν Ἰησοῦν.

(x) 2. Tim. III. 16. 17. πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἑλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν.